



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Stirpis Aniciae, Stemma Tertium. Olybrivm. §. xj.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

antiquato gentilitio, ex Anicia, Frangipania appellata est. Quod & ratione probatur, nam etsi S. Gregorius nomen sibi Frangepanis à pietate promeruisse, vt dicunt, ad posteros eius hoc nomen transire non potuit, cum Ecclesiasticis addictus, nūquam vxorem habuisse legatur, nec filios procreasse: imo, vt uidere est, linea Anicia Proba, in eo defecisse uidetur, nec ultra eum se extendisse. A recentioribus autem Frangipanorum ideo illi insignia data, quod prisca Aniciae familiae ignorarent; nā de S. Gregorij insignibus apud antiquos nulla mentio est. Adde, quod Panuinus in epitome supracitato loquens de familia Anicia, & S. Gregorio Papa, non dicit eundem ex familia Frangipania fuisse, sed tātum, ex domo illa nobilissima Anicia originem traxisse, quae postea in Frangipaniam transmutata est; sed quando, hoc in libris quos de familia Frangipania scripsit, dicit se ignorare: quod nos, Deo dante in subsequētib; in Perleonia familia, demonstraturi sumus.

## STIRPIS ANICIAE.

Stemma Tertium.

OLYBRIVM.

Gradus I. Qui est Anicianus XVIII.

§. xj.



*Extus Anicius, Hermogenianus, Olybrius, V. C. Sexti Anicij, Petronij Probi Senioris, ex Proba Faltonia, filius, cuius Consulatus, quem cum fratre suo Sexto Anicio Probino gessit, notatur in Fastis*

*Consularibus ad annum Christi 395. qui erat Urbis conditæ annus 1147. Hic Panegyrico decantatus est à Clau-*

*i 3 diano,*

diano, uti in fratre eius diximus. Familiam à suo nomine Olybriorum Aniciorum nobilissimam Romæ reliquit, de qua sic S. Hieronymus in epist. 8. Nunc mihi Proborum, & Olybriorum clara repetenda sunt nomina, & illustris Anicij sanguinis genus, in quo aut nullus, aut rarus est, qui non meruerit Consulatum. De quibus in ea Familia frequentibus Consulatus, habet consentientia S. Hieronymo, Claudianus, his versibus:

Quemcumque requiris.

Hac de stirpe mirum, certum est de Consule nasci.  
Per fasces numerantur aui, semperque renata  
Nobilitate uirent, & prolem fata sequuntur,  
Continuum simili seruantia lege tenorem.  
Nec quisquam procerum tentat, licet ære uetusto  
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu,  
Se iactare parem.

Quod etiam ad Olybriaci generis splendorem attinet, sic Aurelius Prudentius aduersus Symmachum lib. 1. de Anicio, ex quo Probi, atque Olybrij.

Fertur enim ante alios generosus Anicius Urbis  
Illustrasse caput, sic se Roma inclya iactat.  
Quin & Olybriaci generisque, & nominis heres,  
Adiectis fastis, palmata insignis ab aula,  
Martyris ante fores Bruti submittere fasces  
Ambit, & Ausoniam Christo inclinare securim.

De eius uxore, nihil certi habetur, præterquam quod sanctissima illa Furia Camilla, uni ex duobus Petronij Probi filijs nupsisse fertur, sed cui eorum hætenus ignotum. Crederem tamen huic potius, quam fratri Probi-  
no nupsisse, cum ille filios habuisse non legatur. Ex illa, aut alia uxore quæcumque ea fuerit, genitus filius Anicius Olybrius.

Gradus

Gradus II. Anicianus XIX.

Flavius Anicius Olybrius, V.C. Hermogeniani Olybrij filius, Roma natus, Consulatum gessit cum Flauio Rustico, anno Christi 464. & studio Patricij Ricimeris, ex Senatore Imperator appellatus anno 472. quinto Id. Iulij, imperauit menses tres, & dies tredecim. Obijt Romae die decimo calendas Nouembris, eodem anno. Vxoribus duas habuit, quarum prima N. ex qua filium sibi equiuocum Anicium Olybrium sustulit: secunda Placidia Augusta, Valentiniani III. Imperatoris filia, iam sibi desponsa, ad cuius tamen nuptias non peruenit, ut rectè testatum reliquit Hieronymus Rubens lib. 3. historiae Rauennatis; & R. Bardi in catalogo Consuluum Aniciae Familiae, & Panuinus lib. 1. Rom. Princ.

Gradus III. Anicianus XX.

Flavius Anicius Olybrius V.C. Olybrij Imperatoris filius, dictus Iunior, cuius Consulatus sine collega notatur in Fastis Consularibus Occidentis, anno Christi 492. Ex uxore N. liberos duos genuit, Anicium Olybrium Tertullium Iuniorem Leonicum: & filiam N. anonymam.

Gradus IIII. Anicianus XXI.

Flavius Anicius Olybrius Tertullius Iunior, Leonicus, Anicij Olybrij filius, Consul factus est sine collega anno Christi 526. ut Fasti Consulares edunt: ob hoc memorabilis quod eo Consule Rex Theodericus Gothorum obierit Rauennae, quarto Nonas Septembris, Regni

ui anno 33. mense quinto, die 28. Vxor eius ex qua  
Fl. Anicium Olybrium Leonicum Antonium Celphium  
suscepit, fuit Flauia Tertia, ut ex sequenti inscriptione  
antiqua, mihi à R. P. D. Paulo Orio Patritio Veneto,  
& Abbate S. Georgij maioris Venetiarum communica-  
ta, intellexi, sic enim habet:

FLA. ANICIO, OLIBRIO,  
TERTVLLIO, LEONICO:  
FLAVIA TERTIA-F--F--F--DEDICA--

*Flauia Anicia N. Anycij Olybrij filia, cuius extat hæc  
antiqua inscriptio ab eodem R. P. Abbate, habita:*

FLA. ANI.—FLA. OLYB. FIL.—  
—MATRI—OD—DED—

Gradus V. Anicianus XXII.

*Flavius Anicius, Olybrius, Leonicus, Antonius, Cel-  
phius, Flauij Anicij Olybrij Tertullij iunioris Leonici  
filius, duxit uxorem Flauiam Aniciam Leonicam Gor-  
dianam Celphiam, ex qua filium generauit Flauium A-  
nicium Leonem Celphium Olybrium, ut ex sequenti an-  
tiqua inscriptione, quam à R. P. D. Hieronymo Brug-  
gia tunc temporis Florentiæ, nunc vero Casinenfi Ab-  
bate habui, videre est, quæ sic habet.*

FL.

FL. ANICIO. OLYB. F. LEONICO.  
ANT. CELPHIO.

FL. ANICIA. LEONICA. GORDIANA.  
CELPHIA.  
OPT. CON.  
ET

FL. ANICIVS. LEO. CELPHIVS.  
OLYB. PAT. OPT. DED.

Item.

FL. ANICIO. OLYBRIO.  
LEONICO. AVIA.

Gradus VI. Anicianus XXIII.

*Flavius Anicius, Leo, Celphius, Olybrius, prædictorum Olybrij Leonici Ant. Celphij, & Gordiana filius, nulla memoria alia, quod sciam, clarus, nisi quod filium genuerit ex uxore N. qui Familiae novæ Petrileonum, Petrus Leo namque vocatus est, nomen dedisse fertur.*

FA-